DE

HYPERTROPHIAE CUTIS SPECIE

VULGO ELEPHANTIASIS ARABUM NOMINATAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

DIE XX. MENSIS IULII A. MDCCCXLIX

BERNHARDUS BRANDIS

BONNENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. WEBER MED. ET CHIR. DR. PRACT.

E. WEBER MED. ET CHIR. DD.

I. BRANDIS STUD. PHILOS.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLIX.

PATRI CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO OFFERT

FILIUS.

Miraris forsitan, pater dilectissime, quod hoc meum specimen tibi potissimum dedicavi. Omnino enim abhorret quam tractavi res ab ea disciplina, in quam totum totius vitae studium impendisti. Tanta vero est apud me tui caritas tuique tanta veneratio, ut ceteris omnibus omissis atque neglectis, hoc illud tantum spectaverim, quacunque ratione aliqua ex parte summa tua compensare possim beneficia. Etenim neque est omnium quisquam, cui gratias

debeam plures, neque ullo alio modo melius referre me posse illas putavi. Quamvis parva sint, quae offero, amoris tamen atque grati erga te animi testimonium putes oro atque obsecro.

INTRODUCTIO.

Quum tota nostra lingua progrediatur progrediente gentium cultura, tum quo nostra utitur doctrina sermone metiri semper licet eius progressus. Quod quidem vel maxime ex comparandis inter sese morborum nominibus apparet, quae in medicinae scientiae singulis, ut ita dicam, aetatibus sunt inventa. Nam ut de morbis antiquiori tempore nondum notis taceam, magnus eorum est numerus, qui nostra aetate accuratius explorati, multisque novis in iis allatis aliter nominabantur. Veteres enim quum nec eruditi essent, auxiliisque carerent, quibus in morborum naturam satis potuissent penetrare, multis illorum ex notis quibusdam exterioribus, dederunt nomen. Quo factum est, ut tum eodem nomine plures morbi inter se maxime differentes denotarentur, tum permulta eiusdem morbi nomina prodierint. Cuius rei insigne praebet exemplum nomen Elephantiasis, siquidem haud omnes antiquiores auctores interpretati sunt illud aequali sensu, et idem morbus a veterum scriptorum parte Elephantiasis est vocatus, a medicis aliis alia accepit nomina. Etenim arbitrantur alii, morbum esse appellatum elephantiasin ex vehementia atque tenacitate, alii ex eo, quod aegroti membra, membris elephantum similia fiant, alii alia afferunt. Deinde eundem reperimus morbum tum elephantiasis, tum leontiasis, tum satyriasis, tum alio nomine esse descriptum. Nec inter recentiores quidem scriptores satis constat, quis potissimum morbus elephantiasis sit appellandus, quod ex eius in nostris regionibus raritate praecipue pendet. Qua de re audiendus clariss. *Alibert* in libro hoc de morbo scripto, quum

dicit: „Antiqui methodo carebant, nostris observationes desunt“. Illud vero constat, verbum elephantiasis ab antiquissimis temporibus morbum significasse cutaneum, quo cutis maioris quam consueti voluminis adspectum praeberet. Quae quidem hypertrophia sicuti in omnibus ceteris corporis organis et modis variis exoriri atque progredi et formas habere potest dissimiles. Quare Cl. *Cazenaave* et *Schedel* inter Graecorum interque Arabum elephantiasin distinguunt, quarum primum genus inter tubercula ponunt, quamvis in duas illud dividant species: Elephantiasin graecam tuberculosam (tsarath phymatodes), et elephantiasin graecam non tuberculosam (tsarath aphymatodes) [1]). Quod ad hoc quidem elephantiasis genus pertinet idem mihi esse videtur, quod apud veteres scriptores ut *Plinium* [2]), *Aëtium* [3]), *Aretaeum* [4]) leontiasis vel satyriasis nomine descriptum est, quod *Alibertus* vero generaliter lepram tuberculosam nominat. In eo enim, quod dicunt consentiunt, maculas in diversis corporis partibus oriri, quae paullatim in tubercula id est singulas in superficie eminentias, spatiis separatas profundis commutentur. Ceterum negari nequit, *Alibertum* aliter hac de re cogitasse, ac *Cazenaavium Schedelumque*, quum lepram tuberculosam in duas partes dividat, in lepram tuberculosam leontiasin, et lepram tuberculosam elephantiasin, quarum species prima faciem potius, altera femora magis cruraque afficiat; quae ultima cum morbo convenit a V. V. Cl. *Cazenaave* et *Schedel*, *Rayer*, aliisve elephantiasis Arabum nominato, a Cl. *Town*, *Hillary* et *Hendy* nomine morbi glandulosi in

---

1) Quam utramque speciem separare se non posse dicunt, primum quia ambo in eodem observentur interdum aegroto, deinde quod iisdem ex causis oriantur, atque parentibus altera affectis varietate, altera laborantes specie nati esse possint.

2) *Plinii* histor. natural. XXVI. 1.

3) *Aëtius* tetrab. IV. serm. I. c. 120.

4) *Aretaeus* de diuturn. morb. l. II. c. 13.

Barbadoes, a Cl. *Biett* „Jambes des Barbadoes" descripto. Quem inter recentiores auctores morbum a Graecorum elephantiasi abhorrere constat. Caret enim tuberculis, tumorem contra ostendit diffusum, qui plus minusve partem affectam reddit deformem, quum illius, Graecae elephantiasis, adspectus tuberculosus, id, quod ex omnibus hac de re scriptoribus elucet, nequaquam negandus sit. Sin autem magis investigamus morbi naturam, idque respicimus, quod ex necropsia eorum constat, qui hoc malo trucidati sunt, apparebit, pro rectiore nunc scientiae statu iudicare nobis licere de istius nomine, neque ex notis externis esse appellandum malum. Etenim, ut postea ostendemus, cutis in omnibus huius morbi a diversis medicis descriptis speciebus, eodem fere modo est degenerata; et cutis degenerationem mox tuberculorum, mox speciem praebere tumoris per membrum diffusi ex sede morbi potius, quam ex natura pendere videtur. Quare Cl. *Fuchs* [1]) nomen Pachydermiae, Cl. *Lebert* [2]) hypertrophiae cutis proposuere, quorum hoc eam ob causam praeferendum videtur, quia huic morbo est analogia quaedam cum simili in aliis corporis partibus sese habente, quem pariter sic nominare solemus, qualemque memorem tantum hypertrophiam cordis et hepatis. Quum vero haud negandum sit, morbum nostrum in corporis partibus aliis aliam habere naturam, aut ex sede species singulas distinguere, sicuti dicimus pityriasis capitis, eczema scroti, aut medicorum antecedentium modum sequentes, hypertrophiam cutis tuberculosam a non tuberculosa seu diffusa seiungere nos oportet; qua de re iudicium ferant alii viri doctiores: a me in huiusmodi quaestionibus tirone illud mittendum est. Sed iam satis de nomine, rem ipsam aggrediamur.

---

1) *Fuchs*, Die krankhaften Veränderungen der Haut. Göttingen 1840. pag. 702. seq.

2) *Lebert* Abhandlungen aus dem Gebiete der praktischen Chirurgie und physiologischen Pathologie, 1848. pag. 68.

Casus Morbi, eiusque Historia.

Catharina Pauli, duo et quadraginta annos nata Hundsrückiana infantiae morbis exceptis sicuti roseola, rubeola, scarlatina, varicellae, quas leniter superaverat, optima semper usa valetudine, anno h. s. vicesimo septimo cum parentibus in Brasiliam transmigravit. Ibi, quum anno sequente febri laborasset, quae intermittens quotidiana fuisse videtur, et viginti duos annos nata matrimonium iniisset, duobus annis post puerum peperit, quem nutriens mastitide est affecta. Deinde filiam sine ulla difficultate in lucem edidit. Ante quatuordecim annos tertium gravida facta, tertio mense gravitatis subito, ut ipsa dicit ex perfrictione, se frigore vehementissimo, quem calor sudorque secuti sint, una cum dolore immenso a regione inguinali dextra ad malleolum usque internum pertinente, esse affectam, qui cum remittente febri etiam remiserit. Mox autem striam rubram cum dolore exstitisse, in quam digiti tactum ferre non potuerit, et quae durior duriorque facta a nodis interdum interrupta fuerit. Deinde febris accessus typo quartano redeuntes omnia symptomata localia valde auxisse; striam rubram et in altitudinem et in latitudinem extensam paullatim tumorem, ruborem, calorem adauctum totius femoris crurisque reddidisse; quae quidem symptomata accessu denuo superato remiserint. Hic quidem processus magis magisque augens tumorem, quum aegrotam ter vexasset, vesicularum eruptione in tota membri superficie orta, humorem editum esse aquosum; quo facto valde relevata sit aegrota. Mox, quamvis tumoris aliquantum remanserit, re domestica fungi potuit. Quum autem tribus mensibus post eodem morbo correpta femur cum crure

magis magisque intumuisset, medicus ei, ut aliquamdiu salubriore uteretur coelo, praescripsit; quamobrem aegrota St. Paul se tulit, ubi per septem menses valetudine fere integra se fructam esse refert, tumore paullatim diminuto. Hic etiam sine ulla perturbatione infantem edidit imbecillimum, qui paullo post diem obiit supremum. Urbem Rio de Ianeira regressa et denuo gravida facta, statim in idem quod antea malum ita incidit, ut quovis mense semel febri totaque symptomatum serie tentaretur. Mense gravitatis tertio, quum membrum in immensum auctum esset, in nosocomium recepta est. Ibi parva in media sura, eminentia alba exorta est, quae dein rupta, liquorem edidit fere aquosum. Hoc loco ulcus exstitit thaleri magnitudine ita quidem exortum, ut pars cutis rotunda a reliqua, cultro quasi excisa, separaretur, et in madio ulcere sicuti mortua iaceret. Margines quanquam callosos tamen acute exsectas describit aegrota; ex ulcere autem ipso magnam ichoris copiam effluxisse, quo factum sit, ut pari modo plura posthac similia exstiterint ulcera, etsi minora; attamen magnam sese ex ulceribus hausisse relaxationem. Infantem postquam in nosocomio pepererit, tumorem per temporis aliquot diminutum et ulcera post quindecim menses sanata esse. Nosocomio deinde relicto, variis intervallis aegrota afficiebatur accessibus; ab hoc vero tempore et alterum femur cum crure corripi coepit; at quum decem annis abhinc postremo gravida esset, etiam labia pudendi maiora sunt tumefacta, post partum autem ad normalem paullatim rediere effigiem. In ceteris corporis organis nullae toto illo tempore graves affuere perturbationes. Menses, qui anno decimo septimo aetatis aegrotae fluere coeperant, consuetis semper intervallis apparuerunt. A coniuge denique relicta cum filiis anno h. s. quadragesimo quinto Germaniam petiit, ubi Berolini se in clinico divi *Dieffenbachii* una cum liberis ostendit, et *Leberto* occasionem dedit de hac referendi familia.

S t a t u s p r a e s e n s. Aegrota, quae nunc Brauweileri

sumptibus alitur publicis, adspectum praebet debilem quidem, haud vero insanum; dicit, se optima frui valetudine; menses ad normam fluere, sed non ut antea copiose. At crura, et dextrum quidem praecipue, talem praebent speciem, ut cum nulla potius re, quam cum elephantis cruribus possint comparari. Color est albissimus, superficies autem parvis obserta eminentiis grani millii magnitudine, quae si deles, in medio cavum invenis parietibus densis circumdatum, paullulum liquoris serosi continens. Complures deinde sunt in externa cruris parte cicatrices, colore candidae, contractae quasi, sulcis praeditae; ulcera vero superficialia a *Leberto* commemorata nunc non adsunt.

Integumenta autem ipsa lobularem quasi formam habent, ita ut partes singulae profundis divisae sint incisionibus, quo fit, ut totum sinuosam, ut ita dicam, ostendat naturam. Cutis autem, qua incisiones attinguntur, glabra est, colore rubro et serosum edit humorem, ita ut spatii parietes omnino careant asperitate. Lobi vero illi in toto observantur et femore et crure et pede, atque in digitis solum desunt, qui quasi ex monte prominent, sed situm habent normalem. Cutis tactu est durissima, et temperatura non diminuta, sensu fere omnino indiget; acupunctura facta aegrotae neque dolor ortus est, neque quidquam effluxit sanguinis. Labia pudendi inveni integra.

Quae efficiebantur mensione extremitatum inferiorum, haec sunt.

Longitudo: 2′, 4″.

Ambitus partis superioris femoris dextri: 2′, 7″, 6‴.

Ambitus partis inferioris femoris dextri	2′, 5″.
Genu ambitus	2′, 1″.
Surae ambitus	2′.
Circa malleolos ambitus	1′, 8″.
Circa pedem ambitus medium	1′, 1″.

Ambitus partis superioris femoris sinistri: 1′, 10″, 6‴.

Ambitus partis inferioris femoris sinistri .	1′, 9″.
Genu ambitus	1′, 7″.
Surae ambitus	1′, 3″.
Circa malleolos ambitus	1′, 11″.
Circa medium pedem ambitus . . .	9″, 6‴.

Tantopere igitur quum auctum sit extremitatum inferiorum volumen, non est mirandum, quod mulier uti membris affectis nullo modo potest. Iacent enim illa ante reliquum corpus in grandis molis speciem, minimeque eius propria, vinculis contra fortuito esse videntur annexa. Sin locum consuetum aegrota relinquit, complures, qui membra illa ferant, adsint necesse est.

Causas huius mali mulier alias nullas affert, nisi quod primum quidem multi in regionibus istis sint, qui eodem illo laborent, dein quod aliquamdiu in domo habitaverit, ad montem annisa ita ut valde fuerit humida frigidaque.

Brevibus nunc verbis morbi describam decursum, quomodo in utraque mulieris illius filia sese ostenderit. Ambo natae in Brasilia, etsi debili, tâmen scarlatina excepta, praeterque in capite quandam eruptionem, quibus morbis eodem laboravere tempore, integra sese prima iuventute fructas fuisse contendunt valetudine. Quarum iunior, nunc quindecim annos nata, aetatis suae anno septimo postquam per plures horas continua pluvia iter facere coacta fuit, domum redux, subito vehementissimo affecta est frigore una cum dolore, qui in dextro postque duas horas in sinistro crure et femore sese ostendit ascenditque a pede usque ad regionem inguinalem. Illae partes morbo eundem habente quem in matre decursum atque exitum, pari modo ac in illa magis magisque intumescebant, et paucis diebus praeterlapsis ad statum rediere talem, qui, quamvis normalis minime fuisset, tamen puellam quominus ingrederetur, non impediebat. Accessiones illae trium vel quatuor mensium spatio rediebant, neque in patriam regressa, liberata ab iis est, sed iam quatuor accessionibus post relictam Brasiliam se vexatam

esse commemorat. Praebent autem huius aegrotae extremitates inferiores similem ac istae matris adspectum, quare supervacaneum erit, accuratius eas describere; volumine vero multo sunt minore, ita ut uti iis bene possit puella.

Modo minus gravi filiam alteram nunc octodecim annos natam vexat malum. Octo annis ante ex simili qua soror perfrictione morbo est correpta, ita ut sinistrum tantum quidem cum pede crus sit afflictum, sed altera pars intacta manserit. Nec non apud hanc accessiones iterum iterumque regressae cruris auxere volumen, et laboravit quinquies iis in Brasilia, in Germania bis tantum. Quum mense Septembre anni praeteriti in clinicum nostrum chirurgicum exciperetur, crus dextrum deformem praebebat effigiem. Cutis aspera et dura, non autem fossis in singulas divisa partes, eminentiis parvis candidis obtecta; quibus commutationibus pathologicis pes etiam, digitis exceptis, partem habebat.

Ambitus erat

Surae afflictae $16\frac{1}{2}''$.	Surae sanae $14\frac{1}{2}''$.
Circa malleolos dextr. $12''$.	C. m. sinistr. $9''$.
Circa pedem dextr. $7'', 3'''$.	C. p. sinistr. $5''$.

Ceterum de nulla affectione morbosa querebatur puella, sed bona se frui dicebat valetudine, nisi quod menses et intervallis incertis accederent, atque si fluerent, parvam tantum edi per unum vel duos dies sanguinis copiam, quo tempore autem neque dolore ullo se vexari, neque ullam percipere cruris commutationem. Curam in clinico institutam loco enarrabimus aptiore.

S t a t u s p r a e s e n s. Crus dextrum aspectum praebet nunc multo minus deformem, quam antea, similioremque alterius lateris cruri. Eius superficies multo glabrior molliorque reddita; eminentiae illae exstinctae. Surae ambitus idem atque in sinistra $14\frac{1}{2}''$, idem fere in pede utroque; malleoli tantum ambitu illos cruris sinistri uno paene digito superant. Menstrua mox post receptionem in clinicum apparuerant et quovis mense modo regulari redeunt profusiusque quam an-

tea fluunt. Ceterum per hos decem menses nulla affectione morbosa correpta est aegrota.

Symptomatologia.

Perclare ex tribus illis a nobis enarratis casibus hunc esse morbi decursum elucere videtur. Adest in primordio inflammatio vasorum lymphaticorum glandularumque femoris atque cruris, quam affectio per totum pervagata corpus sequitur. Illud partim ex dolore, rubore, tumore plus minusve diffusis in cursu vasorum illorum, tumoribus singulis globosis, qui chordam illam in interno extremitatis inferioris latere tensam interrumpunt; partim ex vehementi demonstratur frigore, quod calor sudorque profusus sequuntur, quibus molestiis etiam nausea vomitusque accedunt. Expanditur deinde inflammatio supra cutem telamque cellulosam subcutaneam, ita ut tota intumescat pars affecta. Quae omnia symptomata denique cedunt remanente tantum leni membri intumescentia; idem autem processus post dierum redit intervallum longiorisve temporis, quo superato membrum affectum ad maius auctum volumen restat, ita ut quo saepius redeant accessus, eo magis augeatur tumor. Ac primum quidem intumescens membrum molle est, paullatim durescit, cutis albis subinde obseritur papulis, vel tuberculis vel vesiculis, quae liquorem nonnunquam edunt aquosum, neque raro ulcera formant gangraenosa (quasi pars deficiens cultro sit excisa), quae formam praebentia rotundam et fundum excavatum caeruleum cum marginibus callosis, magnam ichoris quantitatem profundunt. Adsentiunt hac in descriptione omnes quos legi auctores sicuti V. V. Cl. Cl. *Cazenaave* et *Schedel*, *Rayer*, *Alibert*, *Hillary*, ceteri, atque id tantum addunt, quod saepe tanta ichoris copia ex ulceribus supra commemoratis profluat, ut febris hectica atque inde mors postremo afferatur. Saepe etiam morbum lente progredi, ulcerationibus carentem, atque aegrotos, etsi hoc malo vexatos, atque ita quidem, ut de

pondere solum cruris ingentis, quod incedentes secum trahere debeant, conquerantur, tamen per totam vitam integra frui valetudine. Haud paucos esse, *Hillary* [1]) dicit, qui annos plus viginti cum pede modo descripto ad ingens volumen aucto, vixerint. Aliis in casibus membrum affectum emortuum sine dolore a corpore seiungi dicitur.

In tria igitur stadia totum morbi processum dividendum esse mihi videtur. Primum stadium inflammatorium est sive acutum, quod frigore vehementi, calore per totum pervagatis corpus, atque inflammatione vasorum lymphaticorum glandularumque, in cutem denique telamque cellulosam subcutaneam partis affectae extensa dignoscitur. Cuius quidem stadii finem facit crisis et universalis et localis, quum partim accessus illi sudore decernantur profuso, partim autem in membro affecto exsudatio exoriatur, et ita, ut liquor, qui vesiculis in superficie exortis continetur, his diruptis, effluere possit, et vel in cutis ipsius interstitia, vel in telam cellulosam subcutaneam exsudata infundatur materies, quod quidem postremum parte tota malo correpta ostenditur intumescente. Crisis vero illa haud completa est, quo fit, ut totum quod in interstitia editum est effluvium, imbibi nequeat, quare in secundum transit morbus stadium, quo lento et chronico ut ita dicam modo progreditur. In quo durior duriorque fit cutis, tuberculis parvis obseritur candidis, quae cum vesicularum eruptione liquorem edentium aquosum, nonnunquam alternantur. Huius vero periodi alterius processus eo saepissime interrumpitur, quod in primum iterum iterumque recidit morbus stadium. Tertia periodus gangraenosa est aut sphacelosa, eoque cognoscitur, quod ulcera illa supra a nobis descripta exoriuntur, aut quod totum membrum paullo paullatim defunctum a reliquo seiungitur corpore.

Restat quod in hoc dissertationis nostrae capite, pauca

---

1) Eius Beobachtungen auf Barbadoes aus dem Engl. v. *Ackermann.* pag. 303.

verba faciam de variis, qui hoc morbo afficiuntur, corporis partibus. Imprimis extremitates inferiores hic sunt enumerandae, et quidem, id quod ex casibus nostris elucet, aut totum corripitur membrum, aut una tantum eius pars, sicuti crus cum pede. Mirum est, quod *Hillary* [1]) contendit, alterum modo semper affectum inveniri crus, cuius rei contrarium iam ex nostris demonstratur observationibus. Quod extremitates superiores a malo correptae reperiuntur, et ex aliis et ex casu a *Rayero* observato descriptoque elucet, de quo postea mentionem faciemus. Addamus, quae de ceteris a morbo partibus affligatis, idem refert auctor: „Si elephantiasis" ait, „in abdominis parietibus exoritur lateque extenditur, in primordio omnia eum vehementis irritationis gastricae symptomata prosequuntur; praeterea exsudatio serosa abundans in telam cellulosam subcutaneam et abdominis parietum, et aut labiorum maiorum, aut scroti, aut denique ani marginum. Si scrotum imprimis corripitur malo, extendi potest affectio in penem, et morbosa saepissime efficitur exsudatio, quae menstruosam hisce organis praebet formam". „Ne thoracis quidem, colli, capitis integumentis haec parcet inflammatio, qua mammarum ita augetur volumen, ut vinculis sustinendae sint. Praeter indurationem, hanc secutam partium illarum affectionem, oriri compertum est ulcerationes, difficillimae ad sanandum. Si facies denique elephantiasi implicatur, in prima periodo saepe deliria adsunt, in secunda autem genae, nares, labia, tum alterius solum, tum lateris utriusque ita intumescunt, ut aspectum praebeant foedissimum" [2]).

---

1) *Hillary* libr. citato pag. 360.

2) *Rayer* sur les maladies de la peau. Art. elephantiasis des Arabes §. 909. seq.

In cadaveribus observata.

Quum nobis hac de re observationes instituere occasio non fuerit, ea hic referre liceat, quae alii reperierint. Quae *Leberto* dissecanti cutis hypertrophicae partem, quam *Dieffenbachius* e crure exciserat adolescentis annorum sedecim, occurrerunt, haec sunt: „Pars exstirpata vasorum inops erat, etsi molli, tamen tenaci consistebat massa, atque colore lacti similis lobularem interdum ostendebat aspectum. Duo microscopii ope cognoscuntur momenta, pinguis telaque coniunctiva, in qua quidem postrema fasciculi singuli clarissime videbantur, qui ex subtilibus gyratisque quasi fibris consistentes a materie circumdati apparebant aequali. Cutis a tela cellulosa haud plane differebat. Totum inventum pingui vel maxime impletum, quod partim aderat fluidum, partim in vesiculis contentum denique continuum formabat panniculum adiposum“ [1]). *Hendy* glandulas lymphaticas invenit aut induratas aut pure impletas, adauctasque volumine. Vasa absorbentia dilatata dirumpebantur iniectionibus adhibitis. Aliam ostendebat tela cellulosa subcutanea commutationem; ea enim liquore erat impleta, crasso, glutinoso, tenaci, mucilaginis consistentiae, cuius humoris copia a totius tumoris pendebat volumine. Assentitur etiam hac in re *Hancke* [2]), qui brachium, cuius cutis telaque cellulosa hypertrophice erat degenerata, diligentissime exploravit. Iam ipsa eius hic afferam verba: „Tela, ait, corii et tela cellulosa ei subiecta mutationibus pathologicis maxime fuerunt obnoxiae sicut panniculus adiposus, in cuius extensis cellulis substantia oleosa et gelatinosa collecta erat. Praesertim autem nonnulli loci antibrachii tantopere erant mutati, ut hoc maxime tetrum appareret. In dorso quidem manus erant tegumenta i. e. tela

---

1) Libro citato pag. 76.

2) De nonnull. elephant. exemplis dissert. inaug. cet. scrips. *Hancke.* Halae 1837. pag. 22.

corii admodum crassata, tela cellulosa liquore lymphatico repleta, et microscopio diligenter usurpato, nonnulla adeo vasa lymphatica extensa, et quod ex natura eorum parietum non pellucida colligere licet, hi densati conspecti sunt". Nonnullis etiam in casibus ab *Andralo* [1]) non solum tela cellulosa subcutanea, verum etiam intermuscularis indurata volumineque est reperta adaucta, telae cellulosae similis submucosae scirrho affectae, et qua propius cutis eo densior, itaque cohaerebat cum ceteris partibus, ut separari ab iis non posset. Inter epidermim corionque corpus papillare pluribus in partibus maxime erat adauctum villisque simile tunicae mucosae intestinalis. Inter corpus denique papillare atque epidermim tres clarissime inter se distinguebantur straturae. Prima et quidem infima in striae albae formam, quae vasibus omnino carens, inter corporis papillaris intervalla penetrabat atque ex tela consistebat cellulo-fibrosa. Altera magis externa e filamentis composita nigris ita implicatis, ut rete efficerent. Tertia stratura summum locum obtinens, hic lineam tantum formabat albam, illic autem densior erat duriorque, quasi e squamarum serie composita, quarum altera sit alteri imposita. Minoris arteriae venaeque voluminis expansae apparebant; musculi erant molles atque pallescentes, quod idem *Hancke* etiam invenit.

De ossium structura commutata Cl. *Alibert* [2]) refert: saepissime illa spongiosa inveniuntur et emollita; periosteum omnino deest. Laminae internae non inter se cohaerent, sed facile altera separatur ab altera. Ossium cavum medulla caret; saepe radius cum ulna, tibia cum fibula alia ossa cohaerentia reperiuntur. Formant denique ossa una cum musculis tendinibusque compactam et massam quasi carnosam.

---

1) Archives générales de médecine. Mars 1827.

2) Précis théoretique et pratique sur les maladies de la peau. Paris 1818. tom. II. pag. 95.

Cl. *Hillary* [1]) nervum cruralem incrassatum, omnia vasa sanguifera invenit dilatata. Cl. *Bouillaud* [2]) in femina, cuius extremitates inferiores, quae, ut ipse dicit, adeo erant volumine adauctae, tamque durae, ut iis elephantis quam maxime essent similes, et venas crurales et venam cavam inferiorem ipsam, obliteras invenit. Quod ad cetera pertinet organa, afferri liceat, quae Cl. *Rayer* [3]) in homine repererit hoc morbo superato. „Aorta, ait, ramique eius maiores intacti; eodem modo duram matrem invenimus, piae matris autem vasibus sanguis erat iniecta; neque in cerebro, neque in cerebello ullae aderant commutationes pathologicae; pulmones, quanquam crepitabant, tamen in posteriore parte sanguine erant repleti. Larynx, trachea, pericardium, pleurae in statu reperimus integro. Cordis latitudo erat in basi digitorum sex, longitudo digitorum septem et semis. Dilatatae erant eius cavitates, quarum autem parietes non incrassati resistentiam ostendebant diminutam. Ventriculus erat aëre quam maxime expansus, in parte pylorum versa tunica mucosa rubefacta, sed neque muco illita, neque emollita, in superiore vero ventriculi parte ad duplex volumen erat adaucta. Tunica mucosa intestinalis tota fere colore erat rubro-violacea; hepar hypertrophicum, et ut renes splenque sanguine impletum. Vesica denique urinaria in panniculo adiposo quasi apparebat involuta“. De hepatis statu assentitur quoque Cl. *Larrey* [4]), qui militis cadaver hoc malo superati exploravit. Quod organon invenit quam maxime hypertrophicum atque durum, vesicam autem felleam crasso impletam felle.

Praeterea de intumescentia refert glandularum mesentericarum, deque tuberculis parvis duris ex materie consisten-

---

1) cf. *Chelii* in libro: Heidelb. Klin. Annalen II. 3. 1826.
2) Archives générales de médecine. Mars 1827.
3) *Rayer* malad. de la peau quatrième section pag. 456.
4) *Larrey* mémoires tom. I.

tibus gypso simili, quae in mesenterio dispersa erant. Alium affert Cl. *Alibert* casum [1]), in quo in hepate renibusque nihil reperit abnorme, lienis autem volumen erat adauctum substantiaque durior modo consueto resistentiorque, atque magna in mesenterio tuberculorum multitudo. Commemorandi denique puto dignum id, quod *Schillingius* affert, qui, si quis amputare velit membrum elephantiacum, arteriarum ligaturam alia remedia, quae styptica nominentur, post operationem adhibeantur necesse esse negat, quia minimi sit emissio sanguinis momenti. Idem auctor sanguinem quoque in talibus aegrotis fere nigrum et paullum tantum continentem seri observavit.

Aetiologia.

Varia hac de re varii scripsere auctores; nulla enim obnoxia fere est causa externa, nulla fere exstat dyscrasia, quae ad hunc morbum procreandum occasionem dare non dicatur. Alii enim ex subito suppressa cutis secretione, alii ex vitio in ciborum usu atque potorum commisso, alii ex dyscrasia scorbutica, scrophulosa, syphilitica mali originem ducunt; alii deinde hereditarium, contagiosum morbum esse arbitrantur, alii alia afferunt. Num dyscrasiis illis nonnunquam exoriendae huius cutis hypertrophiae speciei culpa sit admittenda, hac de re iudicium ferre non meum est. Quod ad illud pertinet quod obtinetur, malum esse hereditarium, verum quidem ex observatione nostra apparere videatur, duo tamen potissimum argumenta obstare arbitror. Iam primum enim mater, cuius morbi historiam primum descripsimus, utramque filiam prius peperit, quam ipsa morbo est correpta, liberi vero omnes postea nati, quantum ex muliere ipsa didicimus, intacti malo mansuerunt. Deinde et mater et filiae sub eodem semper coelo iisdemque conditionibus vixerunt,

---

1) Libr. citat. pag. 94.

ex eadem denique causa ultima morbi originem ducunt. Et ne contagiosam quidem esse elephantiasin haecce docent observationes; quod si ita se haberet, mirum videatur, quod non ceteri quoque homines, qui cum familia illa vixerunt, morbo correpti sint. Illud vero factum non esse, ex muliere ipsa compertum habemus; neque ea mittenda est causa, quod Brasiliae certe incolas minime fugire scimus istos, qui hacce cutis hypertrophia laborant. Id vero certissime constat, quod et ex omnibus, quae evolvi hac de re scriptis et ex meis ipsius elucet observationibus, hunc morbum nonnullis in orbis terrarum partibus, ut in Brasilia, insula Barbado endemicum esse, vel ul rem accuratius explicem, certas exstare illic conditiones, quae in hunc potissimum morbum magis quam in alios inclinatos reddant homines. Quae vero potissimum sint causae istae obnoxiae, difficillime statui potest. *Hillary* arbitratur, ex repentina temperaturae commutatione, ita ut frigus subito sequatur calorem, originem mali esse ducendam. Maxime autem noctes is accusat frigidas atque humidas et venti perflatus, qui in insula Barbados saepe inveniantur regnantes. Dicit deinde, morbum fieri endemicum, si, ut in orbis terrae quae meridiem spectant regionibus, conditiones illae per etesias continuo efficiantur, epidemicum autem fieri, si anni aetas quaedam certam talium secum ferat conditionum seriem, qua ad malum excitandum occasio praebeatur. Eandem fere, si nostras spectamus casus, causam invenimus. Brasiliae enim temperiem quisque noscit calidissimam per maximam anni partem esse; cui rei accedit, id quod iam supra commemoravimus, quod familia nostra elephantiaca, per multos annos domicilium habuerat in domo ad montem sita eamque ob causam humida atque alsa. Exoritur autem inde nequaquam localis solum quasi ad morbum inclinatio, sed omnis multo magis afficitur organismus, quod partim ex toto typico morbi elucet processu, quo tota correpta apparet constitutio, partim ex iis etiam demonstratur, quae ex necropsia didicimus. Nam quum neque hepatis, neque lienis, neque renum,

neque mesenterii neque alius cuiusdam organi interni sit affectio propria, tamen nulla est nota cuiusquam hominis, qui hoc morbo laboraverat, obductio, qua unum alterumve organorum illorum in statu morboso repertum non fuerit; neque hoc solum, sed sanguinis etiam ipsa natura visa est pathologice valde mutata. Cui rei simile quoddam inesse videtur typho, febri intermittenti, pyaemiae, aliis eiusmodi affectionibus. Ergo dyscrasia ex causis istis obnoxiis exoritur, quae impetu quasi postremo allato, sicuti in nostris casibus accedente perfrictione, in singula quadam corporis parte morbum efficiat localem. Simile quoddam in aliis quoque invenimus dyscrasiis, sicuti in syphilitide ulcera faucium (secundaria), coronam veneream, alia, in tuberculosi, cerebri, pulmonum, mesenterii tubercula, alias affectiones. Sed ut omnes fere morbi, qui certis ex causis et epidemici et endemici fiunt, sporadici etiam esse possunt (ut exempla afferam typhum, febrem intermittentem, morbillos, scarlatinam), ita huius quoque cutis hypertrophiae speciei singula etiam in nostris regionibus reperiuntur exempla. Quod quo clarius ostendatur non ineptum mihi videtur, casum hic referre nostris quidem simillimum, a *Rayero* Parisiis observatum.

„*Maria Pr.* annos triginta et unum nata, postquam a septimo aetatis anno cruris dextri elephantiasi laboravit, cuius membri amputatio anno 1823 erat instituta, mense Ianuario a. 1825 in articulis cubiti atque manus, deinde secundum vasorum lymphaticorum processum dolor subito exortus est vehementissimus. Chorda quasi nodosa tensaque, parvorum subcutaneorum tuberculorum seriei similis in doloris directione sese ostendebat sicuti taenia rubra supra brachium se extendens; dolor autem usque ad regionem porrigebatur axillarem, ubi glandulae intumescebant lymphaticae. Rubor erysipelatosus totum mox corripuit membrum, superiore tantum parte excepta. Cui quidem irritationi tela quoque participere posthac coepit cellulosa subcutanea, ita ut tumor exoriretur grandis; neque tactum eius quidem lenissimum

aegrota ferre poterat. Manus cubitique articulatio rigida erat atque contracta. Eodem tempore inexplebili diti, frigore vehementi, cephalalgia, anxietate, deliriis vexabatur. Frigus calor secutus enormis deindeque sudor totius corporis profusus, quo factum est, ut omnia remitterent symptomata, quorum omnium ordo post quatuor horarum spatium rediit, redientibusque iis, rubor dolorque augebatur membri affecti. Superato accessu, relaxatisque ardore cum dolore, membri affecti semper crescebat volumen. Quum aegrota die ultimo mensis Martii in nosocomium pietatis reciperetur, brachium parte superiore excepta rubrum erat, volumine alterius volumen quater superante, forma cylindricum, durissimum, massam constituens aequalem, qua gravius digitis tacta impressio non remanebat. Calor erat ardens, premendo dolor crescebat, praecipue vero in manu digitisque, quorum articulationes rigidae apparebant contractaeque. Et ne nunc quidem liberata erat aegrota accessionibus, quae spatiis incertis redibant, eo tamen a prioribus differebant, quod frigus plerumque membrum tantum corripiebat affectum. De cura instituta disserendi postea erit locus; id tantum hic referendum est, quod seri evacuatio, vesicantibus effecta, tanta erat, ut bis per diem novis uti vestimentis aegrota esset coacta. Primo mensis Maii die dolor valde erat diminutus, nec non intumescentia membri duritiesque; manus digitique facilius movebantur; tantum denique valebat medendi ratio adhibita, ut, quamvis denuo accessus mense medio Iunio redirent, omnia tamen symptomata duobus diebus praeterlapsis evanescerent, membrumque affectum paullo paullatim ad statum reduceretur normalem". [1]) — Quamquam plura eiusmodi Cl. *Rayer* attulit exempla, tamen hoc unum enarrare sufficere visum est, quo ostendam, etiam in nostris hunc morbum inveniri orbis terrarum partibus.

---

1) Libro citato pag. 488. seq.

Considerantibus nobis vitia quaedam organica interna, quibus fortasse exoriendae huius cutis hypertrophiae interdum culpa sit committenda, illud iam supra allatum occurrit, quod Cl. *Hendy* obliteras semel reperit et venam cruralem cavamque inferiorem; et ne hac quidem de re quidquam afferre possum gravioris momenti, quum persuasum mihi non habeam, illo in casu ex vitiis istis solis mali originem esse ducendam; et quantus est numerus affectionum earum, quae obliteratis hisce vasibus effici possint!

Ex contrario probabilius multo videtur, ipsa illa vitia post exortam elephantiasin apparuisse, phlebitide aut ex impedito solum sanguinis refluxu, aut ex eo effecta, quod venae inflammationi participerant vasorum lymphaticorum atque cutis. Eodem modo sese habere puto, quod Cl. *Rayer* cordis cavitates invenit dilatatas. Nam in organo sano atque hypertrophico sanguis non fluit perinde, sed in illo celerior, in hoc tardior esse debet circulatio, quare irregularitas quaedam exoriatur in toto hoc systemate necesse est; eamque ob causam minime mirum videtur, quod gravissimae quidem cordis laesiones inveniuntur in iis, qui membro laboraverant modo elephantiaco ut ita dicam degenerato. Atque retardatam esse in eo sanguinis circulationem et ex aliis, et praecipue ex omnibus stadii gangraenosi seu sphacelosi clarissime elucet symptomatibus.

Prognosis.

Scio, multos esse, qui insanabilem huncce esse morbum arbitrantur. Cui vero opinioni minime accedendum esse puto, etsi negari nequit, tollendi huius mali causas saepissime opes nobis deesse. Iam in prima periodo, quantum ex omnibus elucet hac de re scriptis, malum exitum nunquam habet laetalem, nisi graves adsunt ventriculi, intestinorum, cerebri laesiones, quae autem minus sunt timendae si inferiores, quam si superiores corporis partes sunt afflictae. Tamen,

quia brevius est hocce stadium, quam effectum praebere possit medendi ratio instituta, sanatio difficillima videtur. Plus valet ars nostra in altera periodo, in qua si demi possunt causae, remedia habemus ad sanandum gravissima. Neque in tertio quidem stadio desperandum est medico, etsi plerumque accidit, ut ex ulceribus tanta effluat ichoris copia, ut febri hectica exorta vires exhauriantur aegroti.

Priusquam ad partem huius dissertationis transeamus, in qua de cura agatur, non ineptum mihi videtur, nonnullos adhuc enarrare casus in clinico nostro chirurgico observatos, qui, quamvis non eodem omnes modo ac illi sint exorti, de quibus antea disseruimus, tamen eam ob causam eos hic afferendos esse arbitror, quia similitudinem praebent eorum symptomata cum iis, quae in secunda atque tertia nostrae invenimus cutis hypertrophiae periodo; quamobrem magni erit momenti, ut de eorum quoque postea disseramus medela.

1) *Joh. Nickel* viginti septem annos natus. Eius parentes bona semper usi valetudine aetate iam provecti mortui sunt. Fratres omnes eruptione in capite et tumoribus glandulosis per plures infantiae annos laborasse dicit. Ipse viginti annos natus scabie, atque anno sequente variolis correptus est. Anno 1838 vehementi affectus est ophthalmia, ad quam sanandum fonticulum medicus in nucham applicavit. Ulcus deinde ortum est in crure dextro, quod lapidis ictu vulneratum erat. Magnam illud puris profundere coepit copiam, neque, etsi multis remediis adhibitis, sanescebat; oculi vero brevi abhinc tempore ad integrum reducti sunt statum. Mox autem intumescere observavit crus aegrotus eo, quod calceos maiore quam antea cum difficultate sibi induebat. Nihilominus tum demum auxilium quaesivit ex medico, quum dolorem amplius ferre non posset. Primum ille praescripsit balnea; quae quum non iuvarent, membrum affectum involvi iussit. Hoc autem ab aegroto ipso ineptissimo eoque modo

institutum est, ut crus medium multo magis aliis premeretur partibus. Qui factum, ut dolore mirum in modum aucto *Nikel* in clinicum nostrum chirurgicum sese ferret die tertio mensis Februarii 1842. Ibi haec observata sunt in eo: Erat cruri forma pedi elephantis simillima; aspera eius cutis atque durissima, colore rubro-violacea, squamis obtecta torum quasi formabat enormem a malleolis usque ad medium pedem extensum. In anteriore cruris parte ulcus aderat torpidum superficiale, magnam puris viridis liquidique profundens copiam, cuius margines duri erant, colore lividi, fundus autem quaque carebat granulatione. Mensura hoc dedit:

Ambitus	circa	genu	15″, ½‴.
„	„	suram	17″, 7‴.
„	„	malleolos	15″, 6‴.
„	„	medium pedem	11″, 18‴.

Digiti volumine etiam erant grandiore, colore rubri. Ceterum de nulla affectione querebatur aegrotus morbosa. Medendi ratio instituta, de qua postea disseremus, tantum valuit, ut, quum die quindecimo mensis Martii demitteretur, ulcus esset sanatum, crus vero, etsi haud multo volumine diminutum, facilius moveri posset.

2) *Ferdinand Eichenhorst* triginta et unum annos natus patrem apoplexia, matrem phthisi amisit. In prima infantia morbillos, roseolam scarlatinamque leniter superaverat; ab anno aetatis suae octavo usque ad decimum novum angina tonsillari saepissime laborabat. Anno vicesimo primo, stipendia quum mereret, scabie affectus est; quatuordecim diebus post sanatus, contusionem accepit genu sinistri, qua hirudinibus atque unguento mercuriali adhibitis sex hebdomadibus post liberatus est. Eiusdem cruris mox ex longo itinere erysipelatosa exoriebatur inflammatio. Anno 1838 pedem sinistrum animadvertit intumescere, nihilominus pergebat in exercitationibus. Deinde vero tumore crescente opem quaerere coactus est ex medico stipendiario. Is frustra tractavit diu malum, quod fomentis quibusdam adhibitis acidis

autumno demum evanuit. Mense Augusto anni 1839 membrum afflictum inflammatione correptum est, quam febris typo tertiana sequebatur, quaeque crassius crassiusque reddens crus turbido coelo iterum iterumque redibat; mox etiam ulcus exstitit in pollice. Magis magisque quoque auctum est malum eo, ut, quum munere aegrotus fungeretur in finibus belgicis, saepius frigido coelo noctu esset expositus. Ubi vidit, quieto statu morbum minui, in clinicum nostrum chirurgicum sese contulit. Ibi die sexto mensis Maii 1842 quum esset receptus, extremitas inferior sinistra ita sese habebat: Volumen medio femore bis superabat dextrum, ter vero sura. Cutis dura erat crassaque, colore normali; impedita genu articulatio apparebat pedisque. Retardabatur aegrotus in ingrediendo affectione tantum pollicis, quae magnam emittens ichoris copiam, ex exploratione onychiam malignam esse sese ostendit.

3) *Jos. Steingass* quadraginta tres annos natus patrem aetate iam provectum apoplexia amisit, mater tum tempore adhuc vivebat integra usa valetudine. Iam prima iuventute sudor animadversus est creber in pedibus. Decimo anno utrumque crus usque ad malleolos intumuit, quibus ex causis notum non est. Tumore hoc, multis remediis adhibitis, evanescente, alter in palpebra superiore dextra exstitit, qui suppuratione secuta sanatus est. Pedum sudor, qui intumescentibus iis cesserat, postea iterum apparuit. Quindecim annos natus tali fungebatur officio, quo in humida terra nudis pedibus laborare coactus esset. Haud multo post crus sinistrum iterum intumescere coepit, ulcusque tandem in medio crure exortum est. Quum hieme sequente quiete uteretur, malum paullatim evanuit, aestate vero, qua ut antea occupabatur aegrotus, rediit illud. Ita alternante cruris statu plures degit annos, sic vero, ut quovis anno in peius morbus verteretur, atque denique ne hieme quidem integra eius esset valetudo. Anno aetatis tricesimo cruris sinistri volumine magis magisque diminuto, crus dextrum crescere coepit,

atque ita quidem, ut anno sequente quum illud ad integrum fere rediisset statum, hoc eo magis augeretur, in peiusque etiam verteretur, quum scabie esset affectus. Ulcera deinde permulta exstiterunt. Tum tantum tumor est diminutus, quum in stagno hirudinibus pleno se lavaret, iique magnam ex crure sanguinis traherent copiam. Cucurbitae vero postea applicatae nullam relaxationem attulerunt. Hieme anni 1841 vesicularum eruptio exorta circa cubitum sinistrum mox sine ullis remediis adhibitis evanuit. Deinde quum per tres menses inediae imperatae aegrotus sese tradidisset, tumor diminuebatur; ubi vero ad consuetam rediit vivendi rationem, omnia uti antea symptomata apparuerunt. Quum medio mense Iunio 1842 in clinicum reciperetur, membri affecti status hic erat: Pes dextra cum crure ad ingens volumen adaucta erat, in dorso pedis nodi quasi eminebant, aderantque ulcera, quae magnam edebant serosi atque foetidi liquoris copiam; planta pedis digitique sana erant. Crus autem sinistrum notas ostendebat ulcerum pristinorum, quod ceterum in ingrediendo aegrotum non interpellabat, dum sinistrum sine vehementi non poterat moveri dolore. Postquam per duos menses cura clinica erat fructus, in melius multo inclinata valetudine, Bonnam reliquit.

C u r a.

Quamquam concedendum nobis erat, breviorem primam quidem esse morbi periodum, quam effectum habere possint remedia adhibita, tamen id certissime constat, elucetque ex morbi decursu in illo casu, quem a *Rayero* observatum enarravimus, multum huius valere stadii medelam ad meliorem reddendum effectum in altera institutae periodo curae. Neque quidquam hic aptius videtur, quam ut de casus illius therapia referam. Quum aegrota primum ex medico quaesivisset opem, isque eam vehementi vexatam inveniret febris accessu una cum immenso membri affecti dolore, magnam

instituit venaesectionem, qua eximia exorta est symptomatum relaxatio. In pietatis nosocomium receptae Cl. *Lisfranc* quietem praescripsit atque horizontalem brachii situm. Accedente dolore cataplasmata applicabantur emollientia, quae, quo magis lenirent incommoda, cum laudano miscebantur. Victus tales praebebantur, quibus morbo implicatis acuto frui licet, praeterea potamina mucilaginosa atque acida. Primis quinque diebus viginti circiter ter adhibebantur hirudines. Quae quum non magno essent adiumento, neque rubor una cum membri duritie et intumescentia diminueretur, altero quovis die duo imponebantur vesicantia, quibus inflammatione nimis fortiter effecta, denuo cataplasmata et balnea adhibebantur tepida. Immensum efficiebant vesicantia seri fluctum; quem liquorem quum scarificationibus etiam institutis abunde profundi animadverteretur, hae illis variabantur. Qua quidem methodo factum est, ut tribus mensibus post brachio ut antea uti posset aegrota. — Cl. *Hendy* sanguinis etiam laudat missionem et venaesectione, et, quum hirudinibus careret, scarificatione effectam; nec non cataplasmata emollientia atque narcotica. Idem auctor contra alios insulae Barbados medicos, qui emeticis ipsis vomitum, saepissime ab iis in huius morbi initio observatum, propagabant, Zincum oxydatum (grana VI—VIII pro dosi) magno cum adiumento ad hoc superandum adhibuit symptoma.

Ad ea nunc transeamus, quae in chronico stadio et ad membri diminuendum tumorem et ad dyscrasiam sint adhibenda delendam. Recentiores medicorum Arabum hydrargyrum muriaticum mite alia praescribunt huius metalli praeparata, quibus V. V. cl. cl. *Town* et *Hillary* sarsaparillam praeferunt. Cl. *Ainslie*, postquam constitutio cibis nutrientibus alio modo firmior reddita sit, mercurium sublimatum corrosivum una cum balneis tepidis adhiberi iubet, nec non acida mineralia utilia hoc in morbo esse arbitratur [1]).

---

1) *Hasper's* Krankheiten der Tropenländer tom. I. pag. 420.

Medici Hinduum oxydo arsenici albo, quod cum pipere miscent, praebito multos sanare elephantiacos dicuntur [1]). Maxime autem notum atque laudatum est in regionibus istis medicamen quoddam Mûdar vocatum, quod ex radice Asclepiae giganteae praeparari Cl. *Ainslie* refert [2]). In insula Mauritio (de France) eo elephantiaci sanari narrantur, quod nullo alio ac testudinum carne uterentur alimento, earumque biberent sanguinem.

Iam de iis disseram, quae in clinico nostro chirurgico ad huic cutis hypertrophiae medendum ab Ill. *Wutzer* summa cum prosperitate sunt adhibita. Imprimis praeclarum illud decoctum Zittmanni, sed Zinnabari Calomelanoque ad summum qui eo utuntur aegrotorum commodum non admixtis, hic est afferendum. Quod quidem medicamen in omnibus quos enarravi in clinico nostro chirurgico tractatis casibus mira cum felicitate adhibitum est. Nam ut de puella tantum Brasiliensi loquar, adhuc hic morante, quae decocto illo ita utebatur, ut a die vicesimo mensis Septembris, die tertio mensis Octobris, die vicesimo septimo mensis Novembris per octo semper dies duas consumeret libras, a die autem mensis Decembris vicesimo secundo per quatuor tantum dies eandem biberet quantitatem, ipsa maximum ex eo se traxisse adiumentum refert. Eodem tempore apud eam sicuti in ceteris per involutionem compressio non est neglecta. Magni etiam in illa fuit momenti liquoris hydrargyri arsenico-hydrojodati usus, cuius gtt. II bis per diem sumpsit, mense Ianuario, Februario, Martio, quod medicamen nequaquam perturbabat eius constitutionem. Neque neglectus est tincturae iodi in crure affecto illitus, qui usque ad hodiernum diem haud frustra exercetur. Electricitate per acupuncturam die

---

1) Asiatic researches tom. I. pag. 149.

2) Materia indica 2 Vol. Lond. 1826. Vol. I. pag. 486, Vol. II. pag. 476—488.

mensis Maii decimo quinto instituta, cruris crescere volumen observabatur, nec non dolor vehemens exortus est in altero crure, ita ut quominus bene incederet puella per plures impedita fuerit dies. Natron carbonicum, quod Ill. *Wutzer* haud immerito in potentissimis ponit remediis, quibus solvantur tumores, pillulis nunc adhibetur, neque, ut videtur, frustra. In ceteris quos enarravi casibus hic Bonnae sanatis, praeter liquorem hydrargyri arsenico-hydroiodati, aegroto praebitum nomine *Steingass*, kali hydroiodicum (gran. XII in aq. destillatae ℥ IV) praescriptum una cum balneis, quae kali carbonico crudo miscebantur adhibitis, magnae erat utilitati.

Operationis quoque commemoranda est methodus a *Dieffenbachio* ad diminuendam instituta membri hypertrophia afflicti intumescentiam. De qua operatione instituta Cl. *Lebert* [1]) haec refert: Iuvenis sedecim annorum elephantiasi cruris dextri laborans clinicum Berolinense petiit, ut membrum amputaretur affectum. Quod ut aegroto servaret Cl. *Dieffenbach* per cruris longitudinem cutis exsecuit partem cuneiformem digitos quatuordecim longam. Vulnus et sutura et emplastro adhaesivo clausum quum brevi post sanatum esset, tertiam voluminis partem crus amisisse repertum est. In inferiore parte usque ad malleolos magnus adhuc aderat tumor, qui magnopere deforme reddebat crus, ad quemque delendum operatio haec instituebatur: Quinque circa digitos supra malleolum externum duas facere incisiones semilunares coeptum est, quae in inferiore parte coniunctae, totum fere includebant tumorem. Is postquam a musculis erat seiunctus, ex utroque latere magnae partes cultro et forfice adhuc exstirpabantur; summo autem parcebatur corio. Vulnus tribus suturis nodosis emplastroque adhaesivo clausum, et fascia involutum est totum membrum.

---

1) Libro citato pag. 75, 86.

Eundem denique fere processum Ill. *Hoppe* proponit commendatque, cuius in eo vero methodus differt, quod is partem cuneiformem non cultro excidi, sed cauterio actuali prismatico exuri vult; idque eo magis admittendum esse contendit, quum cutis tali modo degenerata totidem fere careat sensu. Operatione finita et ille involvi comprimique fascia iubet membrum. — De hisce vero methodis, quum et mihi desit eruditio, nec hac in re experiendi fuerit occasio, iudicare nequeo; aliorum igitur amplioris experientiae doctrinaeque maioris virorum studio linquo arbitrium.

VITA.

Natus sum ego *Carolus Iulius Bernhardus Brandis* die 8. mensis Iulii 1826, patre optimo *Christiano Augusto*, matre dilectissima *Carolina*, e gente *Hausmann.* Fidem confiteor evangelicam. Postquam inferiores gymnasii, quod hic floret, classes frequentaveram, parentes in Graeciam mecum migrarunt, atque Athenis per annos duos et dimidium egregia *Ernesti Curtii*, professoris nunc Berolinensis, quem gratissimo semper prosequar animo, eruditione fruebar. Redux in patriam quinque annis superiores gymnasii classes absolvi tres. Anno 1844 testimonio maturitatis instructus die 10. mensis Octobr. a V. Cl. *Bleek* t. t. Rectore Magnifico V. Cl. *Naumann* amplissimi Medicorum ordinis decano inter academiae cives receptus per triennium scholis interfui virorum Cll. *Mayer*, *Weber*, *Pluecker*, *Dahlmann*, *Brandis*, *Treviranus*, *Bischof*, *Naumann*, *Wutzer*, *Nasse*, *Bischoff*, *Kilian*, *Goldfuss*, *Noeggerath*, *van Calker*. Dein Halas me contuli, ubi a V. Cl. *Volkmanno* t. t. Prorectore Magnifico V. Cl. *Kruckenbergio* amplissimi medicorum ordinis decano in academiae cives receptus hosce habui praeceptores: V. Cll. *Kruckenberg*, *Blasius*, *Hohl*.

Anno 1848 Bonnam regressus, a V. Cl. *Loebell* t. t. Rectore Magnifico, V. Cl. *Harless* amplissimi Medicorum ordinis decano inter academiae cives receptus, scholis interfui Virorum Cll. *Nasse*, *Wutzer*, *Kilian*, *Harless*, *Bischoff*, quibus viris omnibus optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

THESES.

1. *Auscultatione et percussione neglecta diagnosis morborum pectoris incerta.*
2. *Ut quodque secetur cadaver, lege constituendum esse censeo.*
3. *In inflammationibus acutis, quamvis vires aegrorum sint depressae, missiones sanguinis vires adaugent.*
4. *Phthisis e tuberculis sanabilis.*
5. *Vivum foetum perforare non licet.*
6. *Medicus non semper chirurgus, sed chirurgus semper medicus.*
7. *Fistulam vesico-vaginalem sola sutura circumvoluta sanat.*
8. *Carolus Magnus maiore cum iure quam Alexander Magnus hoc affectus est nomine.*
9. *Curae indicationes medico arte excellenti semper patent.*